

146. Quæst. 6. An legata ad pias causas possint in aliud pium usum commutari? R. non posse, quandiu voluntas testatoris juste, & honeste impleri potest. Interdum tamen hæredes, vel Episcopi possunt interpretari voluntatem testatoris, & in rem magis necessariam commutare. Quod si ad usum a testatore relictum legatum non deserviat, arbitrio Episcopi, vel executoris ad aliam piam causam applicandum est, ita ut mens testatoris, quoad fieri possit, adimplatur. Ex Trid. Sess. 25. cap. 8.

147. Quæst. 7. Quo tempore, & ordine voluntas testatoris sit exequenda? R. quoad tempus, hæredes, & executores tenentur in conscientia sub gravi statim implere legata, maxime pia, si possint; quod si multum differant sine justa causa, debent compensare damna, aliis allata. In foro autem externo, post aditam hæreditatem, confectumque inventarium obligantur intra annum implere legata non pia, & intra sex menses legata pia, ad quod possunt compelli utroque judge, Ecclesiastico, & sacerdotali. Quoad ordinem vero, standum est menti testatoris, ad quam implendam executor univesalis potest vendere, si opus sit, bona defuncti; particularis vero id non potest. Neuter temen potest, invito hærede, rem legatam dare legatario, sed monendum est Judex, vel Episcopus, ut ipsum cogat. Quod si bona non sufficiant ad legata omnia solvenda, omnibus pro rata sunt distribuenda, cum par sit omnium jus, & ratione: denique tenentur executores reddere officii suarationem, & executionis, & possunt ad id co-

gia judice, vel Episcopo, exceptis iis, quæ testator clam eroganda eis commisit.

CAPUT XV.

De iis, qui testari, & hæredes institui possunt.

148. Quæst. 1. Quinam testari possunt? Omnes ii, qui naturali jure, aut positivo non prohibentur. Naturali autem jure vetantur infantes, furiosi, amentes perpetuo, filii familias; si tamen sint puberes, testari possunt de bonis castrensis, & quasi castrensis; de abventitiis autem non nisi ad pias causas, & Patre consentiente ex c. 4. *de sepult.* in 6. Servi, & Religiosi post solemnum professionem; prodigi post interdictam administrationem, & ii qui ob aliquod grave crimen tali poena a jure mulctantur. Denique Clerici de bonis Ecclesiasticis c. 9. *de Testam.* nisi ubi contraria viget consuetudo, aut quibus est facultas; sed non nisi ad pias causas.

149. Quæst. 2. Quinam possint instituti hæredes? R. omnes homines, & societas, nisi specialiter prohibeantur. A jure autem sunt prohibiti. 1. Apostatae, & hæretici, eorumque receptores, defensores, & fautores, sed non ante sententiam judicis, neque ubi viget contraria consuetudo. 2. Civitas hostium, & communis Judæorum. 3. damnati ad metalla, persecutores, & percussores Cardinalium, & qui ob crimen testari non possunt. Excluduntur

etiam a bonis defuncti hæres, & legatarius, qui testatorem occiderunt l. ult. §. ult. ff. de bonis. damnat. Pariter is, qui testatori prohibuit testari, aut testamentum revocare; qui cum hæres esset, curam non habuit testatoris mente capti, aut captivum, cum posset, non redemit: adde eum, qui uxorem testatoris carnaliter cognovit. Ex communitatibus autem hæreditates adire nequeunt ex, quibus permissum non est bona immobilia in communi possidere; sed legata pia, aliaque sibi donata possunt admittere.

150. Quæst. 3. Quænam sit divisio hæredum? R. aliis est ex testamento, aliis ab intestato. Hæres ex testamento vel est universalis, sive ex asse, vel partialis, sive ex parte tantum, v. g. ex triente, vel quadrante. Uterque horum potest esse hæres necessarius, vel necessario instituendus, ut sunt omnes per rectam lineam descendentes, & post hos ascendentes; aut non necessarius, quem testator potest hæredem instituere, sed nulla lege tenetur. His positis, testator potest quemvis extraneum hæredem dicere, prætermis- sis consanguineis collateralibus, modo non sint in gravi necessitate, nec sit scandalum. Quod si isti graviter indigeant loquendo de fratribus, & sororibus, non dubito gravem esse obligationem illis testamento relinquendi saltem quantum sat- sis sit ad sublevandam ipsorum indigentiam, tum ex generali præcepto charitatis, quæ præ- scribit ordinem subveniendi pauperibus, primo quidem sanguine conjunctis, postea extraneis; tum ex obligatione speciali pietatis, quam habe- mus erga fratres. Quod attinet ad alios consan-

guineos remotores, eamdem obligationem eis subveniendi agnoscit Sporerius; sed repugnat communis sententia, quæ solum docet esse ve- niale alios ipsis præferre in eadem necessitate.

151. Quæst. 4. Quid hæredibus necessariis debeatur, & quando possint filii exhæredari? R. 1. inter filios dividenda est saltem tertia pars hæreditatis, si plures non sint, quam quatuor liberi; si plures autem sint, semis. Deficientibus filiis, idem servata proportione deberetur descen- dentibus, & his deficientibus, ascendentibus li- nex rectæ. Quod si alicui ascendentium, vel des- cendentium pars legitima, ab omni onere libera denegetur, jus illi est, ut petat supplementum, vel ut recindat testamentum, ipso jure nullum; maxime si causa exhæredationis in ipso testamen- to inserta non sit, & probata. R. 2. filius exhæ- redari potest justis de causis. 1. si contumeliose Parentem tractet, manus in ipsum injiciat, aut velit occidere. 2. si contra ipsum agat in judicio criminis vel ut accusator, vel ut testis, vel pro- curator, nisi crimen sit hæresis, vel læsa Ma- jestatis. 3. Si rei habeat cum uxore, vel unica concubina Patris. 4. si nolit fidejubere, ut patrem a carcere liberet. 5. si ipsum testari prohibuit. 6. si filia, recusato justo matrimonio, mere- tricio more vivat.

152. Non potest autem Pater filiam exhære- dare, etsi nubat contra Parentum voluntatem. Probabilius etiam est, parentem, qui justa de causa filium exhæredavit, ei non posse alimenta denegare, si aliunde non habeat ea, quæ ad vi- etum sunt necessaria. Imo si Pater, justam habens

causam exhæredandi filios , jure suo non utatur, non possunt isti privari hæreditate. Jure enim civili cautum est , ut causa exhæredandi non solum in testamento inseratur , sed etiam legitime probetur. Pariter : si Pater injuriam remittens, filium in sui gratiam recepit , nequit absque nova illius injuria hæreditate filium privare. Quod si filius ante mortem Patris doleat de illata injuria , & pœnitentiam agat , æquum videtur , ut Pater ipsum dicat hæredem ; sed ad id non tenetur , cum pœnitentia in foro humano reum a pœna non absolvat.

153. *Quæst. 5.* Quando testamenta infirmantur ? R. 1. si in eis filius posthumus præteritus sit. 2. si persona infamis instituta sit hæres, frater & soror possunt infirmare testamentum. 3. si filii ita inæqualiter hæredes instituantur , ut aliquis legitima sua parte privetur. Peccant autem parentes , etiam si valet testamentum , si absque justa causa alios aliis præferant ; causæ vero justæ sunt majora alicujus in parentes merita , major necessitas , majus familiæ decus , & similia. Pater non potest expensas factas pro filio in studio litterarum repetere , si quidem liberaliter donaverit ; secus vero si in animo habuerit eas in legitimam computare.

154. *Quæst. 6.* An filii illegitimi possint succedere parentibus ? R. filii illegitimi , sive naturales , sive spurii jus habent , ut alimenta a patribus accipiant ex l. *cum haberet de eo , qui duxit in quo jus Canonicum Civile jus correxit , a quo spurii etiam alimenta a Parentibus præstari prohibentur.* Quoad successionem vero filii

naturales , si Pater careat legitimis , possunt in omnibus Patri succedere , auct. licet c. de nat. liber. Quod si parenti sint legitimi , non potest relinquere naturalibus nisi duodecimam partem bonorum ; si vero Pater absque legitimis filiis , & absque uxore decebat , filii naturales ab intestato succedunt patri in sextam partem hæreditatis , dividendam , cum matre. Ipsi vero filii naturales matri succedunt , æque ac legitimi , non solum ex testamento , sed etiam ab intestato. Spurii autem præter alimenta nihil omnino possunt accipere , vel retinere , ex nov. 74. c. 6. tit. quib. modis.

155. *Quæst. 7.* Quinam hæredes succedant ab intestato irrito , vel infirmato testamento ? R. primo loco succedunt legitimi liberi , & his vita functis , nepotes. II. cum descendentes deficiunt , succedunt ascendentés , scilicet pater , & mater defuncti , & post illos avus , & avia. III. his quoque deficientibus , frater , & sorores , ex utraque parte conjunctæ , exclusis iis , qui ex solo patre , vel sola matre conjuncti sunt. IV. Si ex fratribus , vel sororibus utrinque conjunctis , unus mortuus liberos reliquerit , succedunt hi loco parentis sui cum patruis , non in capita , sed in stirpes. Quod si fratres , & sorores mortui sunt , succedunt eorum filii , non in stirpes , sed in capita , adeoque æquali portione , quia non succedunt loco parentum , sed jure propriæ conjunctio- nis. Ita Salm. cum Lugo contra alios. V. Aliis proximioribus , deficientibus , succedunt fratres , & sorores ex eodem tantum patre , vel matre geniti , & quidem ita ut qui ex parte patris conjun-

cti sunt, succedant in bona ab ipso provenientia, in reliquis æqualiter omnes. VI. His quoque deficientibus succedunt propinqui collaterales, usque ad decimum gradum, & quidem singuli in capita, *auct. post fratres*. Tandem cum nulli sunt propinqui usque ad hunc gradum, succedit uxor: qua mortua, jus habet fiscus sacerdotalis ad bona laici ab intestatu defuncti, & ad bona Clerici fiscus Ecclesiasticus.

156. His adde sequentia, scitu necessaria: 1. hæres non solum jura, & bona defuncti, sed ejus etiam debita, & onera in se transfert; ita tamen ut supra vires hæreditatis non obligetur, & deduetis sumptibus funeris, & soluto ære alieno, quartam saltem hæreditatis partem obtineat. Hæc vocatur *falcidia* in legatis, & donationibus mortis causa, *Trebellianica* in fidei commissis, cuius beneficio possunt hæredes, si ex hæreditate non supersit, eam detrahere legatis, non tamèn piis. 2. Ut hoc beneficio fruatur hæres, tenetur confidere inventarium intra dies 30., vel saltem 60.; ab hoc tamen onere, & ab obligatione reddendi rationem, potest liberari a testatore. 3. si uxoris, susceptis ex priore marito liberis, ad 2. nuptias transeat, ejus ex primo marito liberis cedit quicquid ab eo sive donatione sive testamento acquisivit: pariter si maritus alteram ducat uxorem. Alia de testamentis vide apud Lugo Navarrum, & alios.

APPENDIX

De Justitia, & Jure,

157. Quæst. 1. Quid, & quotplex est justitia? R. Justitia late sumpta est complexio virtutum omnium. Stricte sumpta est virtus moralis, movens voluntatem ad tribuendum cuique jus suum, hoc est, quod cuique debitum est ex jure. Dividitur in legalem, commutativam, distributivam, & vindicativam. *Legalis* est virtus, inclinans ad tribuendum Reipublicæ, seu Communitati quod ei debitum est ob bonum commune; *legalis* autem dicitur, quia habet pro objecto commune bonum, ad quod leges respiciunt. *Justitia commutativa* est virtus, inclinans ad redendum personis privatis ad æqualitatem id, quod ipsis debetur vi dominii, orti ex pacto, aut contractu, ratione cuius habent jus in re, vel ad rem. Quod pactum cum frequenter in commutatione versetur, hinc *justitia* dicitur *commutativa*. *Distributiva* est virtus, inclinans ad tribuendum alteri munus, officium, vel onus juxta proportionem meriti, & facultatis ejus: quare illa non respicit æqualitatem, sed justam proportionem inter rem, quæ tribuitur, & personam, cui res tribuitur. Denique *vindicativa* est virtus, inclinans superiorem ad reum pro merito puniendum.

158. Quæst. 2. Quid est jus, & quotplex? R. jus in genere est potestas legitima ad aliquid sibi debitum. Aliud est *in re*, aliud ad *rem*. Jus Tom. I.